



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. IV. An possit aliquando Confessarius uti notitia habita in Confessione?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

## ARTICULUS IV.

An possit aliquando Confessarius uti  
notitia habita in Confessione ?

- I. *Usum talis notitia in ordine ad externam gubernationem olim vetuit Clem. VIII. ; & prius Nostri veterat P. Claudius ; ac demum Innoc. XI. thesim hac de re loquentem damnavit .*
- II. *Quinam usus notitia ex confessione acquisita sit licitus ?*
- III. *Illicitus est universim usus ille , qui reddit confessionem odiosam , atque adeo est cum gravamine poenitentis .*
- IV. *Quid si mors imminet Confessario , nisi tali notitia utatur cum aliqua suspicione , quod ex confessione ea sit acquisita ?*
- V. *Explicatur triplex genus actionum , quas potest Confessarius exercere ut notitia habita in confessione cum gravamine poenitentis .*
- VI. *Illicite sunt actiones , quae inferunt poenitenti gravamen quodcumque ; esto multo majus levamen ex iis habeat .*
- VII. *Confessarius vocatus ad confessionem audiendam ab eo , a quo in praeiterita confessione scandalum passus est , num possit renuere ?*
- VIII. *Num possit Confessarius loqui cum poenitente aliquando de auditis in confessione ad corrigendum aliquem errorem in ea commissum , petita , & non obtenta ab illo facultate loquendi ?*

I. **C**lem. VIII. in motu proprio anno 1594. praecipit tam Superioribus regularibus, quam Confessariis, qui postea ad Superioratus gradum fuerint promoti, ne ex notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem guber-

nationem utantur . Idem his verbis praeeperat Nostri Claudius Aquaviva anno 1590. dicens : *Tametsi non desint Doctores, qui sentiant, salvo Sacramentalis confessionis sigillo, iustis de causis licere nonnunquam Confessario ( cum id fieri potest sine ulla revelata confessionis suspicione ) uti extra confessionem notitia in confessione habita ; Nostros tamen eam doctrinam sequi non iudicamus : Unde ita prorsus in omnibus casibus Nostri se gerant , ac si in Confessione nihil penitus audivissent .* Demum Innoc. XI. anno 1682. damnavit propositionem illam, quae dicebat : *Scientia ex confessione acquisita uti licet , modo fiat sine directa , aut indirecta revelatione , & gravamine poenitentis , nisi aliud multo majus ex non usu sequatur , in cuius comparatione prius merito condemnatur .* His praemissis

II. Certum est, omnem omnino usum notitiae ex confessione acquisitae neque jure naturali, neque divino positivo, neque Ecclesiastico prohiberi . Quandoquidem possum ex notitia per confessionem habita moveri ad orandum Deum pro poenitente , ad gratias Deo agendas pro sua misericordia erga illum , & erga me, ad mihi praecavendum circa aliquod periculum sive animi, sive corporis , ad operam aliis ferendam, ne in idem periculum labantur ; & sic in aliis rebus, in quibus nulla habetur suspicio revelandi confessionem neque directe, neque indirecte , & nullum inferitur gravamen poenitentibus . Dabium proinde est, An possim ea notitia uti, quando sine revelatione Confessionis possum vel mihi consulere, verbi gratia, non bibendo Calicem, in quo scio ex confessione mihi paratum esse venenum, si alii suspicentur, id ex confessione mihi fuisse notum ; Vel consulere bono ipsius poenitentis, verbi gratia, non dando illi Parochiam,

vel suffragium ad illud munus, quo illum esse vel indignum, vel abusu- rum scio ex iis, quæ mihi in confes- sione aperuit; vel in aliis similibus casibus.

Nonnulli apud Th. Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 16. quæst. 1. docue- runt; Primo posse Prælatum amove- re ab officio Titium, quem ex con- fessione cognovit non recte fungi of- ficio suo, quando nemo præter ipsum Titium suspicatur, amotionem hanc ab officio fieri dependenter a notitia confessionis. Secundo, Confessarium posse negare Titio suffragium secre- tum ad prælaturam, si ex confessione sciat, illum esse indignum. Tertio, Parochum posse negare Eucharistiam occulte illam petenti, si ex confes- sione noscat, esse in statu peccati mor- talis; necnon negare assistentiam ali- cui Matrimonio, quando ex confes- sione cognovit contrahi cum impedi- mento dirimente; Et Episcopum ne- gare Ordines Sacros ei, quem ex confessione cognovit irregularem. Ra- tio doctrinæ est, quia in his casibus non revelaretur secretum confes- sionis; Nam solus ille, qui ea peccata confessus est, posset suspicari sibi ob peccata commissa, hoc, vel illud ne- gari; Atqui respectu ipsius res in con- fessione dictæ non sunt secretæ, cum ipsemet eas dixerit; ergo sine reve- latione secreti, & violatione sigilli ta- les actiones exerceri possunt.

III. Verum nullatenus licere hujus- modi actiones, docent communiter Doctores cum eodem Sanch. loc. ci- tat., & constat ex prohibitionibus ad- ductis. Ratio est, quia non solum re- velatio secreti est prohibita, sed etiam quodcumque redderet confessionem odiosam; Atqui si scirent homines, hujusmodi opiniones esse probabiles, eo ipso redderetur odiosa confessio, & multi dimidiatam eam facerent, si nosset, periculum hujusmodi sibi

imminere ex integritate confessionis; ergo hujusmodi opiniones non sunt ullo pacto sequendæ.

Confirmatur, quia sigillum confes- sionis non solum obligat ad non re- velandum aliis crimen pœnitentis, sed etiam ad non objiciendum illi, aut exprobrandum verbo, aut facto suum peccatum: Quæ autem major expro- bratio, quam amovere illum tamquam indignum ab officio, negare suffra- gium, aut Ordines Sacros, aut assi- stentiam debitam matrimonio, &c.? Quare illæ solum actiones ortæ ex no- titia Sacramentali sunt permittæ, quæ nullum ex se gravamen afferunt pœni- tenti; quæ vero gravamen afferunt, non permittuntur: Hinc si ex confes- sione sciam, verbi gratia, Sortem, cui soleo confiteri, esse Sacerdotem fictum, & gravaretur, si non amplius illi confiterer, debeo apparenter illi confiteri, & confessionem meam ve- ram alteri facere, ut docet Lug. num. 105. : Estto Sanch. loc. citat., Gra- nad., Fagund. putent, in tali casu non esse rationabiliter invitum Sor- tem, si quæsito colore non amplius illi confiterer; Et eodem modo non esse rationabiliter invitum famulum, si Dominus sciens ex confessione esse furacem, non dat illi amplius pecu- niam expendendam citra periculum revelationis confessionis; cui tamen sententiæ non subscribo.

IV. Pariter, si ex confessione Sor- tis sciam, parari mihi insidias, & in Calice, verbi gratia, propinari ve- nenum, puto cum Lug. num. 100., Suar. sect. 3., & aliis communiter, non posse me sine licentia Sortis om- mittere Sacrum, quando ex omis- sione Sacri focii criminis suspicarentur peccatum a Sorte confessum: Contra- rium tamen tenet Perez disp. 44. sect. 13.; quia Sacerdos faciendo id, ex alio prætextu, nullo modo revelaret confessionem; Unde posset fugere a  
etiã

etiamsi ex fuga deberet ipse pœnitens occidi; cum nemo teneatur exponere periculo propriam vitam, ut salvet alienam. Sed neque huic sententiæ subscribo; Imo puto, non solum esse cavendam suspicionem probabilem peccati in confessione auditi, ut docent Scot., & Medin. apud Lug. n. 106., sed etiam cavendam esse omnino suspicionem, etiamsi non sit probabilis, ut docent Tabien., & Lug. Ratio est, quia sicut possunt Carthusiani obligare se ad abstinendum a carnibus; etiam cum evidenti discrimine vitæ; & sicuti in nullo casu permittitur fornicatio, pollutio, &c.; ita pariter cum periculo vitæ possumus in reverentiam Sacramenti obligari, & de facto a Christo Domino obligamur ad abstinendum ab iis omnibus, quæ odiosam reddunt confessionem. Addit Lug. num. 116., quod si quis audiendo confessionem Sortis exponat se periculo peccandi, debet potius confessionem Sortis audire, & sperare, quod non sit lapsurus in peccatum, quam nolle confessionem audire, quando sic illi exprobraret peccata præterita in confessione audita: Sicuti qui non potest periculum peccandi evadere, nisi mentiendo, debet abstinere a mendacio, & sperare, quod in eo periculo non sit lapsurus.

V. Ad majorem doctrinæ claritatem adnotandum cum Tambur. lib. 5. cap. 6., triplicis generis esse actiones pœnitenti ingratas, quas Confessarius ex vi notitiæ habitæ in confessione posset exercere.

Primo, aliqua versantur circa personam ipsam pœnitentis, & spectant ad justitiam commutativam; ut negare illi debita, illum punire, parare illi insidias, ut in delicto audito in confessione deprehendatur, tollere illi jus acquisitum, &c.

Secundo, aliæ actiones versantur pa-

riter circa personam pœnitentis, sed spectant ad justitiam distributivam, vel ad misericordiam, aut aliam virtutem; ut negare illi suffragium, aut eleemosynam, aut Sacramenta, quæ aliter non esset negaturus, tollere illi officium amovibile, expellere e domo famulum, qui confessus est sua furta, aut ostendere illi vultum severiorem, minusque grate cum eodem loqui, non colloqui cum excommunicato vitando, &c.

Tertio demum, aliæ actiones non exercentur circa personam pœnitentis immediate, sed contra illam pariter recurrunt; ut custodire res vigilantius, claudere fores, aut arcas alia clavi, ne iterum furtum patiaris, aut ne domo egrediatur subditus, nolle egredi domo ad Sacrum faciendum, quia in confessione audisti paratas tibi insidias, & alia hujusmodi, quibus pœnitens impeditur, ne iterum peccet absque ullo extrinseco suo incommodo. His explicatis

Certum est, primi generis actiones nunquam licere, in quo omnes Doctores conveniunt; Addentes, quod si judicium aliquod sit institutum contra Reum, & inveniatur, notitiam aliquam, etsi levissimam, ortum habuisse a confessione, tunc omnes actus sint nulli, & irritandi.

Circa actiones secundi, & tertii generis, licere docent ad triginta quinque Auctores apud Th. Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 16. num. 4., inter quos D. Th., Scot., Sot., Suar., & alii; quia nimirum in iis casibus supponitur, quod solus pœnitens advertat, ea fieri a Confessario propter peccata in confessione audita; non est autem revelare confessionem, nec aperire secretum, quando nulli alteri communicatur: Ex alia parte pœnitens non habet jus absolutum ad eas actiones; unde non fit illi injuria, nec frangitur sigillum, si eæ negentur.

Vc-

Verum ipse Sanch. putat, actiones secundi, & tertii generis nullatenus licere, ne sic in odium fidelium incidat confessio; Sicut enim non licet colloqui cum pœnitente de peccatis in confessione auditis; ita nec licet eas actiones exercere, quibus pœnitens confundatur; unde confessarius eodem modo debet se gerere cum pœnitente, ac si nihil ab eo audisset, nullam actionem illi ingratham exercendo.

Demum Tambur. ex Con. disp. 9. dub. 4., & Pal. punct. 19. §. 3. distinguunt inter actiones secundi, & tertii generis; ac putant, actiones secundi generis non licere actiones vero tertii generis licere, quia illæ redderent confessionem odiosam, non istæ; Et pœnitens rationabiliter est invitus circa illas, non circa istas.

VI. Equidem cenfeo, actiones secundi generis non licere; quia vim habent punitionis, aut reprehensionis; unde retardaretur a confessione pœnitens, si illæ licerent: Actiones etiam tertii generis nec licere dicendum est, quando aliquo modo ex iis pœnitens gravaretur, vel veluti indirecte reprehenderetur; si enim vigilantior esset Superior, verbi gratia, circa observantiam regularum, quando ex confessione noscit, aliquam illarum occulte violari, certe gravaretur subditus. Et quamvis hoc ferat majus bonum subditi; At non proinde licet, ut constat ex ea propositione damnata ab Innoc. XI., quam fuse in Trucina exposuimus in Append. §. 7. quæ aperte habet: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur.* Quare si Sortes confiteatur propositum occidendi aliquem, non potest Confessarius efficere, ne se-

quatur homicidium, quod Sortes in carcere includatur propter debitum pecuniarium, verbi gratia, aut ex alio capite; quia quamvis multo majus sit gravamen Sortis, quod committat homicidium, & pœnam ejus subeat, quam sit gravamen, quod haberet ex carcere propter æs alienum; At hoc prohibetur ab Innoc. XI., uti scilicet scientia habita in confessione, cum gravamine pœnitentis, etiamsi talis usus deserviat ad vitandum majus ejus gravamen.

Quare bene docet Pisan. in Clypeo Gedeonis, quod aliquando actiones tertii generis inferant gravamen, aliquando levamen pœnitenti; proinde illæ non licent, istæ licent: Verbi gratia, si ex confessione sciam, Sortem habere Bertam concubinam, & alio prætextu efficiam sine ulla indirecta revelatione confessionis, ut careat opportunitate adeundi Bertam, hic usus est in levamen, non in gravamen pœnitentis, quia nullum honestum solatium potest habere ex consortio cum Berta: Quod si efficiam, ut Sortes non solum careat opportunitate adeundi Bertam, sed etiam egrediendi domo, ut solebat, ad honestam recreationem captandam, & eatenus ne possit Bertam adire, certe subiret aliquod gravamen Sortes, quamvis ad præcavendum peccatum cum Berta, quod est gravamen majus; & proinde nullo pacto licet.

VII. Queritur nunc primo; An Confessarius, cui pœnitens minatus est mortem, nisi ipsum absolvat, si iterum vocetur ad audiendam confessionem, possit renuere sine fractione sigilli?

Respondeo cum Perez sect. 13. posse; quia minæ illæ non fuerunt materia confessionis, sed peccatum ibi commissum; Unde sicut posset fugere Confessarius, quando pœnitens vult illum occidere; ita quando ti-

met.

met, ne iterum mortem sibi minetur, potest illum nolle audire.

Hinc inferitur cum Lug. num. 116., quod possit pariter Confessarius vocatus ad audiendam confessionem illius, a quo scandalum est passus, salvo sigillo non ire; quia vel scandalum oritur a malitia pœnitentis, vel a fragilitate ipsius Confessarii; Si primum, jam tale scandalum, seu provocatio ad malum non esset materia confessionis, sed peccatum patratum in confessione; si secundum, jam nullum peccatum pœnitentis revelatur.

VIII. Quæritur secundo; An Confessarius, qui erravit in absolutione, vel absolvendo verbi gratia ab excommunicatione, a qua non poterat, vel non injungendo restitutionem, ad quam pœnitens tenebatur, &c., possit petita a pœnitente, & non obtenta facultate loquendi de auditis in confessione, adhuc profequi, & illud advertere?

Respondeo, Suar. disp. 33. sect. 5. cum Filliuc. cap. 11. quæst. 5. affirmare: Sed communis sententia negat apud Dian. part. 5. tract. 11. resol. 18., & part. 1. tract. 1. Miscellan. resol. 12. & apud Perez sect. 14. Ratio nonnullorum est, quia in tali casu Confessarius non loqueretur extra confessionem, sed perficeret, & suppleret eam, quæ inchoata, & imperfecta remanserat. Hæc tamen ratio communiter rejicitur, quia sic posset Confessarius per totam vitam objur-

gare, & monere pœnitentem de peccatis in confessione auditis, si non reprehendit tunc satis pro merito delictorum; quod tamen nemo dixerit. Adde, quod si non loqueretur in tali casu Confessarius extra confessionem, nulla esset ratio, quare deberet prius veniam loquendi petere a pœnitente: Quare cum iudicium vere sit finitum post absolutionem, dicendum, quod nullo pacto possit Confessarius de auditis in confessione loqui cum pœnitente, facultate ab ipso non obtenta; Nisi forte, ut alias diximus, immediate post absolutionem esset aliquid addendum; (quia tunc censetur moraliter perseverare idem iudicium) Vel in sequentibus confessionibus recurreret sermo de auditis in confessione; tunc enim juxta praxim Confessariorum timoratorum, & opinionem plurium Doctorum, etiam licet de auditis in prima confessione iterum loqui.

Quando autem teneatur Confessarius facultatem a pœnitente petere loquendi de auditis in confessione, ad corrigendum errorem aliquem in ea commissum, sive spectantem ad valorem Sacramenti, sive spectantem ad damnum tertii, sive ad aliud quodcumque, puta si non explicavit pœnitens numerum, aut speciem peccati, aut si non fuit monitus ad relinquendam occasionem peccati, sive quid simile, abunde discussimus quæst. 8. art. 5. num. 10., sive error irrepleverit bona, sive mala fide.